UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Lukianu Hapanta

Lucianus <Samosatensis>

Basileae, 1619

Virtus dea

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1546

Visual Library

§ Deiphobus.] *Priami filius ex Hecuba: hic, Paride interempto, Helenam duxit vxorem: cuius dolo & proditione à Græcis, quos illa in cubiculum dormientis intromiſit, fuit interfectus. de quo Virg. 6. Aen.*

Atq; hîc Priamidem laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora:
Ora, manusq; ambas, *&c.*

VIRTVS DEA

ARGVMENTVM.

Hîc Virtus à Fortuna malè habita deſcribitur, lacera & mœrens, & quę nec ad Iouis aſpectum admitteretur: quę profectò virtutis ſpecies noſtrę ętati conuenire videtur, vt etiam hi ferendi ſunt, qui peregrino eam habitu effinxêre. Et apud Mercurium queritur, atque ait: Quum pro me dicere vellet Plato, expulſus eſt. Ciceroni pro me dicere incipienti, M. Antonius grauiſſimum colaphum in os intulit: deſtituor itaq; ab omnibus amicis, armatorum vim impetumq; timeſcentibus. atq; ita relicta, pugnis cæſa, calcibusq; ſum conculcata: atq; vt vides, à Fortuna dilacerata. Adij Iouem, vt iniurias apud eum exponerem: menſe toto non ſum admiſſa, rogitanti mihi deos exeuntes, cauſam dixerunt, Iouem vacare vt tempore cucurbitę floreſcant, aut papilionibus alę concinnè ſint pictę. Rogatq; tandem Mercurium, vt cauſam ſuſcipiat. nam ſibi deſpectę nudęque latitandum eſſe.

Interlocutores.

MERCVRIVS. VIRTVS.

VIRTVS *dea per epiſtolas orauit modò, vt ad ſe irem. Eo, vt perconter quidnam me velit, illicò ad Iouem redibo.* VIR. *Salue, Mercuri: ago tibi gratias, quandoquidem tua*

in me pietas atque benignitas, efficit vt non penitùs deſpe-
cta ab omni cœtu deorum ſim. MER. Expecto quid
narres: tu modò perbreues narrationes facito. nam edixit,
vt confeſtim ad ſe redirem, Iupiter. VIR. Etiámne te-
cum nobis non licebit noſtras ærumnas exponere? Quos
igitur habebo vltores iniuriarum, ſi non modò apud ipſum
maximum Iouem, verùm & apud te, quem ſemper in fratris
locum habui, colui, obſeruaui, condolendi facultas nega-
tur? O me miſeram, ad quos confugiam? vnde auxilium
petam? Me quidem, cùm ita deſpiciar, malò eſſe truncum
aliquem, quàm deam. MER. Tandem effare, dum præ-
beo operam. VIR. Viden' quàm ſim nuda & fœda? Hoc
ita vt ſim, efficit Fortunæ deæ impietas atque iniuria. At e-
ram ſanè ornata apud Elyſios campos, inter veteres illos a-
micos, Platonem ſcilicet, Socratem, Demoſthenem, Cice-
ronem, Archimedem, Polycratem, Praxitelem, & eiuſ-
modi viros doctos, qui me, dum vitam agebant, pijſſimè
atque religioſiſſimè coluere. Interea loci cum iam non pau-
ci ſalutatum ad nos aduolâſſent, eueſtigiò Fortuna dea inſo-
lens, audax, temulenta, procax, maxima armatorum turba
conſepta atque ſtipata, properans ad nos, iactabunda: En,
inquit, plebeia, túne maioribus dijs aduentantibus non vltrò
cedis? Dolui iniuriam nobis immeritis eo pacto fieri: ac
nonnihil ira concitata, inquam: Neque tu maxima dea his
verbis me plebeiam efficies: neque ſi maioribus cedendum
eſt, tibi turpiter cedendum cenſeo. Illa verò illicò in con-
uitium ſeſe effert aduerſum me. Prætereo hîc, quas contu-
melias in me primùm dum hæc inter nos geruntur, effuderit:
idcirco Plato philoſophus cœpit contra eam, nonnulla de
deorũ officijs diſputare. Illa excandeſcens: Apagite hinc ver-
boſi, inquit. Non enim decet ſeruos deorum cauſam ſuſcipere.

Cœperat

Cœperat & Cicero orator plura velle ſuadere. at ex turba armatorum erupit, Mercuri, Antonius præpotens, latera illa ſua gladiatoria oſtendens, grauiſsimúmque pugnum in os Ciceronis iniecit. hinc cæteri mei amici perculſi metu, fuga ſibi properè conſuluêre. neque enim Polycletus peniculo, aut Phidias ſcalpro, aut Archimedes horoſcopo, aut cæteri inermes aduerſus audaciſsimos armatos, eosq́; prædis atque homicidijs ſuetos, bello ad ſeſe tuendos valebant. Ergo me infeliciſsimam ab ipſis dijs omnibus qui tum aderant, atq; hominibus deſertam, pugnis ac calcibus totam confregêre, veſtes meas diripuêre, in lutum proſtratam reliquêre, demum abiere ouantes. Ego verò ita confecta, cum primùm licuit, conſcendi huc vt Iouem opt. max. his de rebus facerem certiorem. Iam quidem mihi vt intromittar expectanti, menſis elapſus eſt: dumq́; id vt impetrem, omnes deos exeuntes atque redeuntes precor, nouas ſemper aliquas excuſationes audio. Aut enim deos aiunt vacare vt in tempore cucurbitæ floreſcant, aut curare vt papilionibus alæ perpulchrè pictæ adſint. Quid? igitúrne verò aliquid ſemper habebunt negocij, quo nos excluſas teneant ac floccipendant? Tum etiam & villicus ſuſcepit curam dudum, ne cucurbitæ ſiti perrant: nos tamen neq; dijs neq; hominibus cordi ſumus. Has ob res te iterum atq; iterum precor obteſtorq́;, Mercuri, qui ſemper apud deos ipſos interpres extitiſti, vt cauſam hanc meam iuſtiſsimam atq; pijſsimam ſuſcipias. Ad te confugio, te ſupplex oro. In te omnis mea ſita eſt ſpes atque expectatio. Da quæſo operā, ne dum à vobis excludor, ipſis quoq; mortalibus ſim ludibrio. Nam erit quidem dedecus deorum ordini, vbi homunculi me tametſi infirmam deam floccipendant. MER. Audiui: doleo. verùm pro vetere noſtra amicitia vnū admoneo, duram nimis atque difficilem cauſam te aduerſus Fortunā ſu-

ſcepiſſe. Nam & Iupiter ipſe, vt cæteros omittam deos, cùm ſe ob accepta beneficia nimiùm Fortunæ debere ſentiat, illius vires atque potentiam veretur. Ea enim ad cœlum dijs aſcenſum præſtitit: atq; vbi velit, valens ſua armatorum manu eijciet. Qua de re, ſi ſapis, inter plebeios deos ignota, quoad Fortunæ odium extinctum ſit, latebis. VIR. *Aeternum latitandum eſt. Ego & nuda & deſpecta abeo.*

EPIGRAMMATA LVCIANI.

Λουκιανοῦ εἰς τὴν ἑαυτοῦ βίβλον.

Λουκιανὸς τάδ᾽ ἔγραψε,[a] παλαιά τε μωρά τε εἰδώς.
Μωρὰ γὰρ ἀνθρώποις καὶ τὰ δοκοῦντα σοφά.
Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι διακριδόν ἐστι νόημα.
Ἀλλ᾽ ὃ σὺ θαυμάζεις, τοῦθ᾽ ἑτέροισι γέλως.

Lucianus in ſuum ipſius librum.

Iacobus Micyllus.

Lucianus ſcripſi hæc, antiquaq; ſtultaq; doctus:
Id quoq; enim ſtultum eſt, quod tibi valde ſapit.
Nil homini certum eſt, nec voto viuitur vno:
Sed ridens, eadem, hic eleuat, ille probat.

GILBERTI COGNATI ANNOTATIONES.

a παλαιά.] *Non ſolùm antiqua ſignificat, ſed etiam fabuloſa, fatua, leuia, qualia ſunt quæ nimis vetuſtate obſoleta ſunt, quo ſenſu hîc accipitur hæc vox: ſic & apud Ariſtotelem ſæpe. Hoc epigramma ſic vertit Alciatus:*

Stulta quidem in ſpeciem luſi, ſapientia quando
Nil humana aliud quàm mera ſtultitia eſt.
Haudquaquam eſt homini certę perfectio mentis:
Approbet hęc aliquis, rideat hęc alius.